ÖSTERREICHISCHE
NATIONALBIBLIOTHEK
290.285-B
ALT-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Titel) 36 pp.

300/1368/70.-

Digitized by Google

Digitized by Google

DE DUOBUS SERMONIBUS AUGUSTINI,

PRIMUM ZAGRABIENSIS DEIN LUCERINI EPISCOPI,

A JOANNE TOMCO

VITÆ BEATI HUJUS VIRI INSERTIS

QUORUM ΓΝΗΣΙΌΤΗΤΑ DISCUSSIT ET EXAMINAVIT.

F. X. S. A.



VINDOBONÆ,
TYPIS GEORGII LUDOVICI SCHULZII, TYPOGR. ACAD.
MDCCLXV.

290.285-B
Digitized by Google

S MARNAVIC, Johannes Tomcus

ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK WIEN

Digitized by Google

Joannes Tomcus Marnavitius Dalmata Epiſcopus Bosnenſis, Canonicus & Coadjutor Zagrabienſis pluribus eruditis laboribus, quibus Patriæ ſuæ gloriam extulit, orbi litterato optime *a*) cognitus, ſingulariter laude ſua dignus videbatur omnibus, quod diſperſa eatenus, paucisque comperta geſta B. Au-

a) Ex David. Czwittingeri relatione in ſpecim. Hungariæ litteratæ p. 386. ſequentia habentur Tomci hujus monumenta: *Regia Sanctitatis Illyricanæ fœcunditas. Romæ, typis Vaticanis. MDCXXX. 4. Vita Petri Berislai Veſprimienſis Epiſcopi, Dalm. Croat. & Sclavoniæ Bani. 1621. S. Felix Epiſcopus & Martyr Spalatenſis Urbi & Orbi vindicatus. Romæ 1634. 8. Unica gentis Valeriæ Salonitanæ Dalmatiæ nobilitas. 1682.* (an 1632?) in 4. His præter memoratam B. Auguſtini Gazothi vitam, addendum eſt alterum opuſculum, cujus ipſe in fine actorum B. Margarithæ V. (de Regia Sanct. Illyric. fœcund. p. 284.) verbis iſtis recordatur: *Quia in vita ipſius ante duodeviginti annos a me Illyrico Sermone Typis Veneticis excuſa & germanæ meæ ſorori Dominicæ tunc temporis in Urbe Tragurienſi monaſterii Monialium Fundatrici & primæ Abbatiſſæ tanquam exemplar novellæ familiæ inſtitutæ dicatum minime adnotavi &c.* Non tamen dubito, quin plura adhuc, Illyrico præſertim ſermone exarata, author ſcribendi amans reliquerit; quæ vero Reipublicæ litterariæ ignota manent, cum vix aliquis recenſendis Illyricis libris ſingularem operam impenderit.

Digitized by Google

Auguſtini Gazothi de Tragurio ex illuſtri Prædicatorum familia primum ad Zagrabienſem Præſulatum aſſumpti, dein ad Lucerinam Eccleſiam, quæ in Apulia eſt, translati collegerit, eaque ſtylo haud ineleganti deſcripta poſteritati reliquerit. Adjecit illa P. Sigismundus Ferrarius in appendice *b*) ad res Hungaricas Provinciæ ordinis Prædicatorum ex Mſ. codice per Authorem *c*) communicato; unde eadem Hagiographi Antverpienſes faſtis Sanctorum ad diem tertiam menſis Auguſti *d*) integra inſeruerunt. Quemadmodum vero hic Beatus Præſul eo temporum curſu Zagrabienſis Eccleſiæ regimen *e*) ſuſcepit, tenuitque, quibus extincta maſcula ſtirpe Regia in Hungariæ Regno res turbulentæ non turbatam minus incertamque ſui memoriam fecerunt; ita vita ejus, ſi exacte, fide candida, certorumque documentorum teſtimonio edita ſit, non parum lucis ad has tenebras allatura crederetur, cum pro recepto Regni

Apo-

b) Edit. Viennæ Auſtriæ. MDCXXXVIII. 4.

c) V. Res Hungar. cit. p. 115. & 478.

d) V. Act. SS. T. I. Aug. p. 290. edit. Venetæ.

e) Evectus fuerat Auguſtinus ad Epiſcopatum Zagrabienſem a Benedicto PP. XI. exeunte anno MCCCIII. aut ineunte MCCCIV. rexitque eandem Eccleſiam uſque ad MCCCXVIIII. circiter, cum Luceriam Apuliæ authoritate Joannis PP. XXII. conſentientibusque Carolo & Roberto Regibus translatus eſt. Conf. Reverendiſſ. ac eruditiſſ. Balthaſ. Adam Kercſelich Abb. de Kacs Can. Zagrab. Hiſtoriar. Eccl. Zagrab. P. I. cap. XIII. cujus rari operis uſum debeo favori Cl. Adami Franc. Kollarii S. C. M. Conſ. & Auguſtæ Bibliothecæ Cuſtodis. Jac. item Echard T. I. Scriptor. ord. Prædicat. p. 553. Ferdinand. Ughellus T. VIII. Italiæ ſacræ col. 319. qui tamen perperam Auguſtini translationem ad an. MCCCXVIII. figit, niſi forte jam tum Lucerinus Epiſcopus fuerit nominatus.

Digitized by Google

Apoſtolici more ſacri Antiſtites plerorumque agendorum participes fieri, decretisque Regiis accedere teſtes primi conſueverint. Et fuerat iſtud ipſum plurium de hoc Tomci opere judicium, qui de magno illo poſt annum tercenteſimum ſupra milleſimum nato ſchismate commentarios condiderunt, aut aliqua ejusdem acta diſcutienda ſuſceperunt, noſtro præcipue feliciſſimo ſeculo, quo Res Hungaricæ ſuis quaſi e ruderibus, abditisque e tumulis communi ſtudio ad vitam revocantur.

Materiam haud vulgarem, dignamque, quæ in argumentum aſſumatur, ſuggeſſerunt duo Beati Præſulis ſermones a Tomco vitæ illius inſerti; Synodalis unus ad Clerum ſuum Zagrabienſem ardenti zelo habitus, & veluti pars chariſſima ex annuis ab eo celebratis Diœceſeos ſuæ Synodis reſidua: alter ad Nobilitatem Hungaricam ex cauſa ſtabiliendi tandem Carolo Roberto Andegavenſi Imperii in campo Rackos prope Peſthum an. MCCCX. congregatam, cum Auguſtinus pro Gentili Card. Sedis Apoſtolicæ Legato oratorem ageret, dictus; quorum tamen poſterior in majorem conſiderationem venit, quod Res Hungaricas propius concernat. Sic enim conceptus eſt, ut graves Regni turbas enarret, Familias æmulorum Regum explicet, de juribus eorum disputet, fidelitatem complurium extollat, Regnicolarum in Cœlites religionem indicet, Pontificis Romani in arduo ſciſſi Regni negotio debitam ſolicitudinem tueatur, ſatis aptus opinioni, quæ ætatis illius animos in diverſas partes trahebat. Prior

vero, quamvis potiſſimum in genere exhortatorio, moribusque in plebe ſua reſtituendis verſetur, aliqua tamen de templo dexteræ Divi Stephani Regis dicato, de infauſta trium Præſulum cœlitus inflicta poena, de Frangepaniorum in Dalmatiam adventu cæteris fere non tractata continet, ut illius quoque lectio utilitate non careat, Hiſtoriographo autem commoda ſubminiſtret adjumenta. Hunc igitur P. Carolus Peterfy S. I. in Concilia Hungarica *f*) retulit; illum magna ex parte Cl. P. Georgius Pray ex eadem Societate annalibus Regum Hungariæ, quibus perficiendis incumbit omnium anteceſſorum præclara molimina ſupergreſſus, inſeruit *g*); Utrumque integrum Reverendiſſ. Kercſelichius in Hiſtorias Zagrabienſis Eccleſiæ *h*) transſcripſit. Doctiſſ. Joſephus Benczur ex ſermone comitiali nonnulla in rem ſuam *i*) deſumpſit & Carolus Andreas Bel (ut alios prætermittam) in commentatione de Maria Hungariæ non Rege ſed Regina *k*) ejus authoritate uſus eſt.

Verum utcunque hi ſermones fuerint recepti, nullus tamen fere eorum, qui amplius de illis tractandum ſuſceperunt, fuit, cui non γνησιότης ipſorum dubia etiam viſa fuerit. Sane jam Jac. Echardus, cum inter

Scri-

f) P. I. p. 164.

g) P. I. p. 389.

h) P. I. p. 106. & 111.

i) In Hungaria ſemper libera p. 19. 33. 34.

k) p. 6. edit. Lipſiæ MDCCXLV. 4.

Digitized by Google

Scriptores ordinis ſui *l*) Auguſtino locum dediſſet, hæſit incertus: an ad eum ſermones iſti pertinerent, an potius ipſius Tomci eloquentiam ſuam priſcorum hiſtoricorum more exercentis laboribus eſſent accenſendi, quod teſtibus ſint deſtituti, ſine quibus fides nulla ſperari poſſet in rebus hiſtoricis, poſtquam piam veterum ſimplicitatem meliores renatæ litteræ exulare juſſerunt. Guilelmus Cuperus Hagiographus in commentario prævio *m*) ad dictam vitam, notisque ei ſubjectis dubium ſuum aliquoties indicavit; quamvis animadverſiones, quas ad opinionem illam nobis perſuadendam propoſuit, cauſam undequaque non evincant. P. Peterfy valde ſuſpicari ſe profeſſus eſt, ne Tomcus bona mente merces ſuas pro Auguſtini ſynodali dictione nobis obtruſerit. Cl. Prayus ſola ſimilitudine ſermonis comitialis cum altero fidem ſuam aſſeruit, cauſataque textus obſcuritate oppoſitum ſchema genealogicum ſubjunxit; ut adeo ſe ancipitis vacillantisque ſententiæ eſſe ſatis prodiderit. Reverendiſſ. Kercſelichius in hæc *n*) mentem ſuam expreſſit: *Orationem utramque tam nempe ad Synodum habitam, quam pro Carolo Rege dictam opus Auguſtini eſſe, affirmare non poſſumus, antiquorum teſtimonio carentes. Sed tamen ſi Oratio ad Synodum opus Auguſtini non eſt, ex libro ſtatutorum Capituli conflata*

l) Loc. cit. Fatendum tamen etiam eſt, neminem fere, ſi Bibliothecarios Dominicanos demas, Auguſtino inter Scriptores partem conceſſiſſe. Czwittingero ignotus manſit, quod hoc Tomci opuſculum ignoraverit.

m) In actis cit. num. 26.

n) Oper. cit. p. 104.

Digitized by Google

ſlata videtur. De alia pro Carolo dicta, cum Raynaldus nullam faciat mentionem, credimus facile, ex inſinuatis ſupra circumſtantiis, ſi non dictam, ad minus ſcriptam fuiſſe. Et ex re, quam continet, antiqua & ſeculorum illorum apparet, ex verbis non immerito recentior videretur. - - - Joannes Tomcus, qui Auguſtini ſermones edidit, præmittit: ita allocutus fertur. Tantæ tamen fidei eidem ſermo Synodalis viſus eſt, ut illo poſtea *o*) pro relatione de dextera D. Stephani Regis confirmanda uteretur.

Etſi vero ipſa exacta ſtyli concordia, idem verborum numerus, haud diſpar tam ſacros quam profanos authores teſtandi frequentia, æquale ſententiarum pondus, quibus ſermones ambo cum reliquis vitæ actis, cæterisque Tomci ſcriptis conveniunt, ſatis manifeſtum faciant, univerſa unius ejusdemque authoris opus eſſe, quemadmodum Guilelmus Cuperus *p*) lectorem admonuit; quia tamen nonnunquam evenire poteſt, ut aliqui aut ſponte ſua naturalique inclinatione eodem dicendi tractu aliquamdiu ferantur, aut opera data, peculiarique imitationis ſtudio ad proximam ſimilitudinem accedant; argumentum inde ſumptum inter ſubſidiarias potius copias reponendum exiſtimo, tum præcipuo uſui futurum, cum aliunde demonſtratum fuerit, ſermonum iſtorum γνησιότητα fallere & Auguſtinum nullam omnino partem in illis habere.

Mi-

o) Ibidem p. 127.

p) Op. cit. p. 303.

Digitized by Google

Minoris adhuc ponderis mihi videtur eſſe, quod idem Cuperus arbitretur, Tomcum authorem a ſe ipſo fuiſſe revelatum, cum in ſermone comitiali legatur: *Magiſter meus Thomas de Aquino*, veluti hoc ad mentem aliorum *q*) & ſuam, qua Gazothum D. Thomæ Aquinatis diſcipulum alias *r*) putaverat, ſcripſiſſet. Verum quidquid ipſe aliique ſuper hoc diſcipulatu ſenſerint, loco iſto fortaſſis amplius ſeducti; nihil tamen adverſus Tomcum inde legitima ratiocinatione deducitur, cum etiam Auguſtinus Thomam ſe puero mortuum s) ritè appellaſſet *Magiſtrum ſuum*, cujus doctrinam ex Moderatorum ſuorum voluntate *t*) ſequendam defendendamque haberet, non ſecus ac ipſe de ſacri Inſti-

B

q) Ita LL. ſecundi Nocturni de hoc Beato Viro in officio Divino ord. Præd. quas etiam Eccleſia Zagrabienſis recitandas aſſumpſit. Joan. Rechacus T. III. de ſanctis ord. Præd. in vita B. Auguſtini cap. II.

r) In eadem vita p. 36. editionis Ferrarianæ.

s) Mortuus eſt D. Thomas an. MCCLXXIV.

t) Cum jam varia adverſus eos ordinis alumnos, qui de Thoma, aut ejus ſcriptis minus reverenter ſentirent, in congregationibus Mediolani an. MCCLXXVIII. & Pariſiis anno ſequenti celebratis decreta fuiſſent, tandem ordinatione ſuprema comitiorum generalium iterum Pariſiis an. MCCLXXXVI. habitorum ſtatutum fuit: *diſtrictius injungimus & mandamus, ut Fratres omnes & ſinguli, prout ſciunt & poſſunt, dent efficacem operam ad doctrinam Venerabilis Fr. Thomæ de Aquino recolendæ memoriæ promovendam & ſaltem ut opinio defendendam, & ſi qui contrarium facere attentaverint aſſertive, ſive ſint Magiſtri ſive Baccalaurei, Priores & alii Fratres etiam aliter ſentientes ipſo facto ab officiis propriis & aliis ſint ſuſpenſi. donec per Magiſtrum ordinis vel generale capitulum ſint reſtituti: & nihilominus per Prælatos ſuos ſeu Viſitatores generales juxta exigentiam culparum condignam reportent pænitentiam.* V. Sainjore ſeu Ricardi Simonii Biblioth. Critiq. T. II. p. 731.

ſtituti ſui Fundatore Dominico alibi *u*) dixiſſe fertur: *Pater meus*; quamvis vita amborum multis annis, mors vero plusquam ſeculi integri curſu *v*) diſtaret; atque idem beatus Præſul in ſermone ſynodali inducitur D. Auguſtinum Hipponenſem Antiſtitem Eccleſiæ Doctorem *Parentem ſuum* appellans, non refragante Cupero, quod noſſet primos jam ordinis celeberrimi ſocios ſub hujus Patris regula militandum ſibi, poſterisque decrêviſſe. Hoc enim grati animi eſt, ut quorum inſtitutum doctrinamve ſequendam elegimus, eos Magiſtros Parentesve dicamus, nec illorum nomen erubeſcamus, quorum diſcipuli eſſe cœpimus; quod a priſcis Philoſophis hauſtum, primi jam Eccleſiæ Patres ſuſceperunt, continuaruntque. Quin imo, ut hoc quoque addamus, præter morem ſui memor fuit Tomcus in referendo DD. Thomæ & Bonaventuræ teſtimonio, ut neutrum eorum Sancti compellatione inſigniret, quod hoc honore nondum publice fuiſſent donati, cum tamen in cæteros ſanctitate conſpicuos, quorum in eodem ſermone meminit, ſatis liberaliter Divorum honorem diſtribuerit.

Porro

u) Apud Echard loc. cit.

v) Abiit ex hac vita S. Dominicus an. MCCXXI. teſtibus coævis vitæ ſcriptoribus Humberto cap. LIII. Jordano cap. IV. Conſtantino Ep. Urbevetano, aliisque. Auguſtinus vero ſatis ceſſit an. MCCCXXIII. V. Ughellum loc. cit. Echard. loc. Reverendiſſ. Kercſelichium op. cit. p. 105. Quamvis P. Martinus Szent-ivanyi in paralipomenica diſſertatione rer. Hungar. p. 157. uti & Pius lib. 1. de viris Illuſtribus ord. Præd. apud Abrah. Bzovium in annal. Eccl. ad an. MCCCXXXII. num. XVI. mortem ejus ad an. MCCCXXXII. tranſtulerint; quorum vero error primum ex permutato ultimarum cifrarum ordine natus eſſe videtur. Madius annum MCCCXXIX. referens ſectatorem nullum reperit.

Digitized by Google

Porro Hugo ille Germaniæ Primas Magdeburgenſis Eccleſiæ Præſul in oratione Synodali nominatus, ſub quo fortaſſis fabuloſus Udo latet, merito offendit circumſpectum lectorem; non tamen inde recte argumento chronologico infertur, ſermonem iſtum recentiorem Auguſtino habendum eſſe; ſiquidem reſtaret probandum, fabulam hanc poſterioris temporis abortu prodiiſſe, quod ſix perficietur. Melius autem concludi exiſtimo, hiſtoriolam ſimilem orationi ſynodali tanti Præſulis repugnare, doctrinæque Auguſtini multum detracturum fore, qui putaret talia ab eo proferenda fuiſſe, tametſi illa vera judicaſſet. Quam enim paucis hic hiſtorias orationibus ſacris inſerendi modus placuerit, teſtes ſunt ſermones ad nos per ſecula transmiſſi ſummorum ſanctimonea & doctrina virorum, quorum plerique dicta ſua ſolum ex ſacris libris, Patrumque authoritate ſtabilierunt. Nec alius eſt ſeculi noſtri ſenſus.

Optimum eorum, quæ Cuperus protulit, a Reverendiſſ. Kercſelichio quoque animadverſum eſt ipſe Tomci ingreſſus ad ſermonem ſynodalem: *ita fertur Clerum ſuum allocutus*, quibus oſtendit, ſequenti oratione non tam Auguſtini verba, quam ſenſum exprimi; ſicut idem Tomcus alias in vita B. Irenes x) Apellianum loquentem produxit: *ita fertur locutus*, cujus certe verba illa non fuerunt, actis ipſis fide ſua laborantibus y)

B 2 Ar-

x) V. Reg. ſanct. Illyric. fœcund. pag. 4.

y) Conf. Act. SS. ad 5. Maji.

Digitized by Google

Argumentum non leve, tale tamen, quod, ſi cætera ſubſiſterent, absque difficultate in meliorem partem poſſet explicari, & deberet.

Quantumcunque vero hæc infirma ſint, & ad evertendam opinionem contrariam minus idonea, ampliores profecto ſuperſunt rationes, quibus invicte demonſtratur, ad Auguſtinum in oratione comitiali (de ſynodali paucis poſtea, cum parem fortunam alteri debeat, ſeu hæc firmitate ſua perſiſtat, ſeu eliſa concidat) nihil omnino pertinere. Libet locum integrum, unde præcipua argumenta mea petiturus ſum, adferre: *Jure ſanguinis eoque optimo, ſuper alios competitores Carolo deberi diadema aviticum ſole meridiano clarius eſt, cum Matrem habuerit Mariam Stephani quinti Hungarorum Regis filiam, ſororem Ladislai tertii & ultimæ ex Bela propaginis ſacræ maſculæ Hungaricæ. Wenceslai Bohemi conditionem longe diverſam eſſe, non eſt cur ambigamus: quippe quem ex filia filiæ Belæ quarti natum agnoſcamus. Bavarus Ottho, quo glutine ſtemmati Regum noſtrorum poſſit agglutinari, nequaquam mihi probatur. Sed Caroli juribus illud quoque, idque rarum in terris additur, quod ipſius ſtemma, cœlo teſte, ex ſanctiſſimis Regibus noſtris profluere comprobatur; ut enim Bela quartus ipſius Proavus Eliſabetham ſororem Germaniæ. aliam Eliſabetham ex alia ſorore neptem Hiſpaniæ; Margaretam filiam Dalmatiæ tanquam concivem meam Tragurii editam; Cunegundem aliam filiam Poloniæ ſanctitatis gloria* z) *ſideribus*

z) Ferrarius aliique habent *Gloria*.

bus inſertas produxiſſe lætatur, ita ex Maria nepote Matre a) Caroli noſtri, Ludovicum ſanctiſſimum Toloſæ Præſidem, primo Italiæ, in qua vitales hauſit auras, demum Galliæ, ex qua ad æternitatis evolavit præmia, Caroli noſtri fratrem, ſtirpem agnoſcit ſuam. Perinde, ſicuti cœlo terræque acceptiſſimus, Francorum Regum præſtantiſſimus Ludovicus nonus, qui ab adoleſcentia ſua ad ultimum uſque ſpiritum nunquam ſibi ſed Chriſto militavit, Regem noſtrum Carolum, per fratrem Carolum Pronepotem ſuum ſtatibus inclyti Regni Hungarici ſceptris ſacratiſſimis tractandis natum, poſteritatem ſuam fatetur, ſic & commendat. Addo præterea, quod omnibus eſt liquidum, Carolum Regem noſtrum nunquam ſe Ungarico Regno obtruſiſſe, quippe cui tanquam primogenitæ proli Parentis ſui Caroli ſecundi, fœliciſſimum totius orbis regnum Siciliæ naturali prærogativa deſtinabatur: Sed (unde ipſi immortales gratias habere debemus & agere) ab melioribus ſenatoribus ſolicitatum, juſſu Romani Pontificis, labanti Ungariæ & alienis Nationibus in prædam concedenti præſto futurum, poſthabito nobiliſſimo & ditiſſimo Siciliæ Regno accurriſſe.

Priusquam vero ad diſputationem deſcendam, verum cognationis ſanctæ Carolinæ hic memoratæ ſchema exhibeo, ut uno obtutu potiſſimam partem argumentorum aperiam.

a) Ita quidem lectionem reſtituendam eſſe ſenſus exigit; non vero ut eſt apud Ferrarium *ex Maria nepote Mater Caroli*, aut ut eſt apud Cl. Prayum & in actis SS. *Ex Mariæ nepote Mater Caroli;* Maria enim jam ſupra ejus Mater dicta fuit.

Digitized by Google

Andreas II. R. Hung. — Ludov. VIII. R. Galliæ.

Andreas II. R. Hung.: Violanta. nupta Jac. R. A. — S. Eliſabetha. Thur. Landg. — Bela IV. R. H.

Ludov. VIII. R. Galliæ: S. Ludov. IX. R. G. — Carolus I. R. Neap.

Violanta: Petrus Rex Arag.

Petrus: S. Eliſabetha Reg. Portug.

Bela IV. & S. Ludov. IX.: S. Margar. V. — B. Kinga. ſive Cunegundis. — Steph. V. R. H.

Steph. V.: Maria.

Carolus I.: Carol. II. Claud. R. Neap.

Carol. II. Claud.: Carol. Mart. Princ. Salern. — S. Lud. Tolor.

Carol. Mart.: Carolus Rob. R. H. an. MCCCX. electus & coronatus.

Quod portentum, obſecro, apparet comparato hoc ſchemate cum oratione comitiali! Author in tenebris verſatur, ignarus quem præſentem intueatur, quem Hungaris ſuis ad regnum commendet, cujus gratia Legatus Apoſtolicus miſſus, competitores exacti, tanti motus exorti, tot bella geſta ſint. Carolus Robertus ad thronum poſcitur, dum interea orator multa contentione, collectoque omni rationum nervo pro Carolo Martello Patre jam in decimum & quartum abhinc annum inter mortuos habito declamat. Maria igitur Stephani V. Regis Hungariæ filia Ladislai IV. ſoror in conjugem data eſt Carolo II. Claudo dicto Neapoleos & Siciliæ Regi: ex hoc matrimonio natus eſt Carolus Martellus Princeps Salernitanus, primus ille Andreæ III. Veneti, Hungariæ Regis æmulus, mox a morte Ladislai IV. Neapoli jure materno per Legatum Apoſtoli-

cum

cum Rex Hungariæ pronunciatus, & dein Romæ a D. Cœleſtino PP. V. coronatus. Huic an. MCCXCVI. *b*) e vivis ſublato ſucceſſit filius ex Clementia Rudolphi I. Imp. filia, Alberti I. Imp. ſorore *c*) natus Carolus Robertus hæres Paterni in Hungariam juris, ad quod tandem cedente Bohemo, ejectoque Bavaro pervenit. Atque hic rerum geſtarum ordo adeo jam demonſtratus habetur, ut nulli refragari liceat; majorem tamen ſplendorem accipiet, cum litteræ Bonifacii PP. VIII. ad diverſos datæ *d*) opera Clariſſimi, & a ſtudio, quo ad res Patriæ illuſtrandas fertur, celeberrimi Viri, cui

b) Raynald. in ann. Eccl. ad h. a.

c) Cauſam dotemque connubii inter Carolum Martellum Principem Salernitanum & Clementiam an. MCCLXXX. initi V. in Pfeffingeri Vitriario illuſtrato T. I. Lib. I. Tit. II. Conf. Thwrotz P. II. chron. cap. LXXXIII. T. I. Script. rer. Hung. Cl. Schwandtneri p. 154. Raynald. ad h. a. p. 315. & pro tota Caroli noſtri genealogia V. Hiſtoire genealogique & chronologique de la Maiſon Royale de France par le P. Anſelme Auguſtin déchauſſe. à Paris MDCCXXVI. fol. T. I. ch. XIV.

d) Non exiſtimo ingratum fore, ſi interea, dum litteræ illæ in publicum prodeant, earum referam inſcriptionem, initium, finemque, prout ex eodem codice, permittente eruditiſſimo R. P. Amando Perſchl Monaſterii ejusdem Bibliothecario antehac deſcripſeram.

I. *Sententia de regno Ungariæ pro Maria Regina Siciliæ & Carolo nepote ejus ſuper poſſeſſorio contra Regem Bohemiæ & filium ſervata quæſtione proprietatis usque ad quadrimeſtre tempus datæ in ſcriptis:* Inc. *Spectator omnium, Cunctorum præſcius, Rex æternus.* In fine: *datum Ananiæ ij. Kalendas Junii Pontificatus noſtri anno nono.* Monuit idem eruditiſſimus P. Amandus hanc ſententiam jam apud Raynaldum ad h. a. haberi.

II.

cui ex codice Manuſcripto inclyti monaſterii B. M. V. ad Scotos Viennæ communicatæ fuerunt, lucem publicam aſpexerint. Jam vero Genealogia ſic conſtituta potuitne unquam aliquis eo abripi, ut Pater filiusne ſit, pro quo diceret, neſciretur? Factum eſſe probat hæc comitialis oratio. Verum iſta eſt errantis Tomci ſemita, qui antea, cum viam ſibi ad ſermonem proferendum ſterneret, Mariam Caroli noſtri Matrem fidenter aſſeruerat. Reliqui errores hinc una veluti catena deſcendentes poſtea pandentur.

Quid

II. *Papa ſcribit Alberto Romanorum Regi, quod præſtet auxilium & favorem Mariæ Reginæ & Karolo Regi Hungariæ pro recuperatione ipſius regni.* Inc. *Officii noſtri debitum.* In fine: *datum Ananiæ nonis Junii Pontificatus noſtri anno nono.*

III. *Similes ad Rudolphum Alberti filium Ducem Auſtriæ.*

IV. *Papa mandat inſcriptis, omnibus in regno Hungariæ conſtitutis, quod teneant & obſervent determinationem ſuam, ſive decretum factum de ipſo Regno Hungariæ, & quod aſſiſtant Mariæ & Karolo Reginæ & Regi in omnibus.* In fine: *datum Ananiæ iij. Id. Junii Pontificatus noſtri anno nono.*

V. *Papa mandat inſcriptis, quod faciant ſuam declarationem ſive decretum Papæ divulgari, ubi poſſit ad notitiam Regis Bohemiæ & filii ejus pervenire.* Incip. *Super Regno Hung.* In fine: *datum Ananiæ iij. Kalend. Junii Pontificatus noſtri anno nono.*

VI. *Papa ſcribit Mariæ Siciliæ & Hungariæ Reginæ, quod ſit ſollicita circa reformationem Status Regni Hungariæ.* Incip. *Ex paterno charitatis affectu.* In fine: *datum Ananiæ iij. Non. Junii Pontificatus noſtri anno nono.*

Digitized by Google

Quid vero ſibi volunt verba illa: *cum Matrem habuerit Mariam?* an ergo Maria jam defuncta erat, cum Carolus Rex inauguraretur? ſic enim loqui amamus, cum mortuorum Parentum memoriam facimus. Vixit enim vero tum Maria, & diu adhuc ſupervixiſſe eam ſatis conſtabit ex ſequentibus.

Animadverſione præterea hic dignum eſt, Mariam prætenſam Caroli noſtri Matrem Ladislai tertii ſororem vocari, cum is quartus fuerit hujus nominis, Cuno appellatus, ut etiam Cl. P. Pray *e*) notavit. Equidem non ignoro, poſteriorum nonnullos Ladislao tertio in infantili ætate; abrepto ob bvitatem temporis locum nullum inter Hungariæ Reges dare, ſive illis ignotus fuerit, ſive ita pro veritate ſenſerint; aliam tamen longe de Auguſtino Præſule opinionem habeamus eſt neceſſe, quem velut propiorem illis temporibus, & in tanta dignitate conſtitutum, & pro tanta cauſa dicturum res patriæ nec latuerint, nec latere debuiſſent.

Vix autem ferendum eſt, quod author ſermonis aperte confiteatur ſibi non conſtare, quo glutine Ottho Bavarus ſtemmati Regum Hungaricorum poſſit agglutinari. Agnovit jam Doctiſſ. Benczur *f*) gravem loci hujus difficultatem, miratusque eſt, quomodo Auguſtinus iſthæc proferre potuerit; cum extra controverſiam ſit, Ottonem ex Henrico Bavariæ Duce, & Eliſa-

C betha

e) Op. cit. p. 390.
f) Lib. cit. p. 34.

betha Belæ quarti Regis filia *g*) natum fuiſſe. At vero iſtud ipſum eorum unum eſt, quorum ratione potius poſteriorum Scriptorum aliquem, ipſumque Tomcum rerum, quæ tum omnibus erant perſpectæ, ignarum ſermonis hujus authorem eſſe arguam. Quis enim ſanæ mentis perſuadeatur Auguſtinum Præſulem ſolum fugiſſe, quæ Ottonis pro Hungarico ſolio contendentis Mater fuerit? Quo titulo, quove jure manus ad res Hungaricas extenderit? Quibus argumentis ambitionem ſuam celaverit? Quid impulerit Ibanum Comitem, partemque illam, modicam licet, Hungaricæ Nobilitatis, quæ ei Imperium terrarum ſuarum præ vicinis potentioribus Principibus obtulit? Cur iidem ab Ottone vix ſacra corona redimito poſtulaverint, ut Belæ Avi nomen aſſumeret, non aliter, ac paulo antea Wenceslaus Bohemus Ladislai nomine ab adhærentibus fuerat appellatus? Eorum ad Ottonem novum Regem ſupplices preces, quas fere nullus Hungariæ Hiſtoricorum refert, Ottocarus Horneckius ſcriptor Auſtriacus in Chron. Rythmico germanico his verſibus expreſſit:

Herr,

g) Connubii hujus Joan. Staindelius in chron. ad an. MCCXLIIII. his meminit: *Heinricus filius Ottonis Ducis Bavariæ duxit uxorem Eliſabeth filiam Belæ Regis Hungariæ;* nativitatem vero Ottonis noſtri Hermannus Abb. Altahens. in annal. ad an. MCCLXI. ſignavit: *Domina Eliſabetha Duciſſa Bavariæ peperit filium in proxima nocte poſt feſtum S. Scholaſticæ Virginis IIII. id. febr. quem Dominus Henricus Dux nominari fecit Ottonem.* Vid. Oefelii Scriptor. rer. Boicar. p. 505. & 682. Conf. Andr. Ratisb. in chron. Bavar. p. 31. in ſcriptor. rer. Ger. Schilteri. Joan. Lucius de Regn. Dalmatiæ & Croatiæ lib. IV. cap. X. Joan. Piſtorius in Genealog. Regg. Hung. T. I. Script. rer. Hung. Cl. Schwandneri p. 764.

Digitized by Google

. . . . Herr, dich piten hewt
Alle dein Land-Lewt,
Der du hewt an diſer Friſt
Herr und Künig worden piſt,
Daz du dich umb ernenneſt ſa
Nach deinen Enen Wela:
Der Nam iſt dir nu Geſchlacht,
Seyt dich Got hat pracht
Zu den Eren der er phlag,
Davon dich nu Niemen mag
Geſchaiden fürpas.
Auch ſolt du wiſſen das,
Daz all Lewt yehent,
Die dich ye ſehent
Nahen und Verrn,
Die deinen Anherrn·
Haben erchant,
Der Kunig was in Ungerlant:
Die yehent warleich,
Sie ſahen nie ſein gleich
Chain Frucht zu jrm Stam,
Gewinneſt du ſeinenn Nam,
So ſey wir ſein mit dir ergeczt. *b*)

Si vero Auguſtinus cognationem hanc nimium longinquam, quia tertio a Rege deductam, putavit: cur eandem in altero æmulo Rege Wenceslao, qui

C 2 ex

b) Cap. DCCLXII. Tom. III. Scriptor. rer. Auſtriac. Hier. Pezii.

ex filia Annæ, Bela eodem natæ *i*) deſcendebat, non itidem inficiatus eſt? Scilicet, cum vix aliqui veterum Hungaricorum ſcriptorum *k*) juris quod Otto in regnum haberet, meminiſſent, ſola per eum facienda coronæ aliorumque inſignium regalium reſtitutione occupati; nulla amplius ſollicitudo Tomcum tenebat, quid exteri in eam partem ſcriptum reliquiſſent, tametſi rem ſubodoratus Ottoni jus aliquod vi cognationis femineæ, ſicut Wenceslao & Carolo, eſſe *l*) non negarit.

Cauſam ſermonis hujus deteriorem adhuc reddit ſanctarum fœminarum Regiæ ſtirpis enumeratio, quam author poſtea ad commendandum Hungaris Carolum ſuſcepit. Equidem veritati conſentaneum eſt, omnes has ſanctimonia vitæ, mirandorumque prorſus operum gloria illuſtres Principes ab Eccleſia in Divorum numero cenſeri; & quidem Eliſabetha Andreæ II. Regis Hung. Filia, Belæ IV. ſoror, Ludovici Thuringiæ Landgravii haud minore virtute clari Principis vidua jam an.

MCCXXX.

i) M. Joh. de Thwrocz in in Chron, P, II. cap. LXXXIV. Joan. Piſtorius Loc. cit. Michael Ritius de Reg. Hung. p. 76. Joan. Dubravius Hiſtor. Boh. lit. XVIII.

k) De Ottonis ad ſolium Hungaricum jure nihil reperias apud Thwroczium, & qui ejusdem veſtigiis inſtitit, Ant. Bonfinium; nihil quoque apud Petrum Ranzanum. Paucitas videlicet adhærentium, temporisque exiguitas, quo regnavit, parvam ejus fecere in faſtis memoriam.

l) In vita p. 5.

Digitized by Google

MCCXXX. *m*) e vivis ſublata nullum dubium parit; quemadmodum nec Margareta Virgo ordinem D. Dominici in inſula leporum profeſſa ad alteram vitam an. MCCLXX. *n*) transgreſſa; nec Cunegundis ſeu Kinga Boleslai pudici Cracovienſium & Sandomirienſium in Polonia Ducis conjux, dein eo defuncto ordinem S. Claræ V. amplexa & an. MCCXCII. *o*) Virgo ex his terris ad ſidera translata, aliquid negotii in quæſtione præſenti faciunt. At vero Eliſabetha *p*), quam author ſermonis *ex alia Belæ quarti ſorore neptem Hiſpaniæ datam* aſſerit, apertum anachronismum obtrudit. Hæc ſcilicet ſancta Regina, quæ ex Petro Aragoniæ Rege, Violantæ (Hioleſiam, Jolem aut Jolantam hanc Andreæ II. R. H. prolem appellant alii) Jacobo Aragoniæ Regi nuptæ filio & Conſtantia ejus conjuge Manfredi Siciliæ Regis filia *q*) an. MCCLXXI. nata erat, ut ſchema

m) Bzovius in annal. Eccl. ad an. MCCXXXI. Tomcus de Reg. Sanctit. Illyric. fœcund. p. 268. In magno tamen Belgii Chron. apud Piſtor. T. III. Scriptor. rer. german. p. 254. ad annum ſequentem refertur.

n) Apud Sigismund. Ferrarium op. cit. p. 269. Act. SS. 28. Jan. T. II. quamvis tam Hagiographus, quam Ferrarius exiſtimet mortem ejus accidiſſe an. MCCLXXI. annum nempe a Paſchare numerando; quem etiam Petrus Ranzanus in epitome rer. Hungaric. p. 372. (Tom. I. Script. rer. Hungar.) notavit. Incertus tamen hæreo, an in Hungaria is annum computandi modus olim conſuetudine obtinuerit.

o) Joan. Herburtus de Fuſtin Hiſtor. Polon. Lib. VIII. cap. VII. Matth. de Mechovia in Chron. Polon. Lib. III. cap. LXV.

p) Iſabellam alias Hiſpani & Luſitani appellare malunt.

q) P. Mart. Szent-ivany in cit. diſſert. Paralipom. p. 156. perperam ait Eliſabetham Matre Hungara natam fuiſſe, qualis ſolum avia ejus fuerat.

Digitized by Google

ma genealogicum ſuperius exhibitum clarius oſtendit; hæc inquam, Sancta adhuc inter vivos agebat Regni Luſitani curis, pacique inter Dionyſium Regem conjugem ſuum & Alphonſum Infantem ſtabiliendæ intenta, cum ſermo iſte dictus fertur, & nonniſi vigeſimo ſexto poſt anno, nempe ſub an. MCCCXXXVI. *r*) ad Superos quos deſideraverat, abiit, Auguſtino tredecim ante annos in Lucerina Eccleſia defuncto. Cui igitur in mentem veniat, ab eodem Auguſtino inter feliciter mortuos computandam, jamque beatis Divorum choris accenſendam eam, quam conſtaret omnibus adhuc in mortales degere, non in agreſti tugurio, ſylveſtrive ſpecu, aut obſcuro Monaſterii angulo latentem, ſed Regio in throno conſpicuam, populi ſui ſingularibus ſtudiis honoratam & celebratam? Pari certe jure Eliſabetham tertiam Andreæ III. R. Hungariæ filiam, quæ Carolum æquali gradu attingebat, adjungere licuiſſet, ut numerus (ſi de hoc agebatur) ſanctæ cognationis augeretur; cum & ipſa tum vixerit, & an. MCCCXXXVIII. *s*) vitam finierit. Verum hæc contempto mundo æqualis, fama tamen minor Tomci notitiam videtur fugiſſe.

Eſt & aliud huic notæ adjiciendum: Eliſabetham hic Hiſpaniæ attribui. Licet enim pronum ſit, quin etiam frequenter contingat Luſitaniam ab Hiſtoriographis munus ſuum obiter agentibus ſub ampliori Hiſpaniæ nomine

r) Bzovius ad an. MCCCXXXVI. Act. SS. die 4. Jul. T. II. Breviar. Roman. ad 8 Julii.

s) Act. SS. 6. Maj.

Digitized by Google

ne comprehendi; non tamen idem de Auguſtino præſumitur, cum in gravi adeo cauſa de rebus ſuorum temporum non niſi librata quæque & expenſa dici oporteret; præſertim poſteaquam paulo ſupra Hiſpaniæ & Portugalliæ velut diverſarum Provinciarum mentionem feciſſet. Fortaſſis Tomcus cum ſua ætate Philippus IV. Hiſpaniarum Rex, cui tum adhuc Luſitania parebat, ſolemnem Canonizationem Divæ Eliſabethæ ab Urbano PP. VIII. impetraſſet, ad eam Hiſpaniæ adſcribendam inductus eſt; quemadmodum Phil. Ferrarius *t*) *Conimbricæ in Hiſpania* illius natalem ſignavit. Verum quid miramur hunc Tomci lapſum, qui de Diva hac alibi *u*) tractans, nequidem aviam ejus Hungaram ſibi cognitam eſſe oſtendit, Thereſiam appellans, quo nomine Joannis Bidauræ filia Jacobi R. Aragoniæ pellex *w*) vocabatur?

Quod deinde D. Ludovicus Toloſatium Epiſcopus Caroli noſtri frater dicitur, eodem ex principio manavit, quo Mariam Matrem ejus aſſeruit. Erat hic ſanctus Præſul alter Mariæ filius Caroli Martelli Principis Salernitani frater, cui præproperis fatis ſublato in Primogenituræ jure ſucceſſurus erat, niſi eidem ſponte renunciaſſet, omni jure in Robertum Fratrem translato; ex quo ipſe primum ordinem Minorum S. Franciſci ſolemni-

t) In Catalogo Sanctorum, qui Martyrologio Romano non ſunt adſcripti ad diem 4. Julii.

u) De ſanct. Reg. Illyr. fœcund. p. 269.

w) Sigism. Ferrar. op. cit. P. II. Lib. II. p. 387.

Digitized by Google

lemnibus votis profeſſus, inde Toloſæ Antiſtes inauguratus, pauloque poſt defunctus vivente adhuc Matre Sancti nomen & honores obtinuit. Quod dum conſidero, non poſſum imperare mihi, quin Matri huic Hungaræ acclamem: Felicem Mariam, quæ talem filium enixa eſt! feliciſſimam, quæ eundem Cœlitibus adſcriptum, ariſque Eccleſia judice impoſitum vidit, & coluit, dignam cui ob ſortem ſingularem Joannes XXII. PP. datis litteris *x*) gratularetur. Verum hæc alterius fori & loci ſunt. Id ſolum adhuc de beatiſſimo Toloſano hoc Præſule adjicio, eum in Italia vitales auras hauſiſſe, in Gallia ad æternitatis præmia evolaſſe, ab Oratore noſtro affirmari; præclarum certe, ſi ſermo iſte Auguſtini eſſet teſtimonium futurum adverſus Andream Sauſſayum *y*) alioſque, qui Brignolæ in Provincia natum & mortuum fuiſſe contendunt. Attamen Celeberr. Minorita Franciſcus Pagius *z*) ex ſuppari relatione ſui Franc. de Mayronis Italicam D. Ludovici Toloſatis nativitatem merum recentiorum inventum eſſe demonſtravit.

Quæ ſequuntur de D. Ludovici IX. Galliarum Regis cognatione, deque primogenituræ jure, quo veluti naturali quadam prærogativa Carolo noſtro Siciliæ Regnum deſtinabatur, conſectanea priorum ſunt.

Ita

x) Extant Litteræ apud Raynald. ad an. MCCCXVII. De cæteris vide Bullam Canonizationis in Bullario Romano T. I. p. 191. ed. Luxemburgi. MDCCXXVII. fol. En! ſimul Mariam viventem etiam poſt Caroli inaugurationem, quod ſupra aſſerui.

y) In Martyrol. Gallic. ad XIX. Aug.

z) In Breviario Romanor. Pontif. T. IV. in Ioanne XXII. num. 14.

Digitized by Google

Ita enim fit, ut error unus alterum trahat, & poſtquam ſemel a recto veritatis tramite deflreximus, neceſſe eſt ut nihil eorum ſubſiſtat, quæ legitima ſequela ex antecedentibus deduximus. Primogenituræ quidem jus ad Carolum noſtrum pertinuiſſe Patre defuncto, haud difficulter admittet, qui temporum noſtrorum rationem habebit; verum aliam longe obſervatam tum fuiſſe conſuetudinem evincit cum D. Ludovici Toloſ. Ep. ſucceſſio in idem jus, tum hujus reſignatio in tertium fratrem Robertum, neglecto impubere Carolo noſtro; quam ſuccedendi rationem etiam apud Hungaros olim ſæpius *a*) exercitam fuiſſe ex annalibus diſcimus. Sunt tamen qui Carolum adverſus hanc primogenituræ, avitique Regni in Robertum translationem poſtmodum reclamaſſe referant *b*) non alia abſque dubio cauſa, quam quod aut inconſulto ipſo, aut ſub infantiæ tempus jurium ſuorum ignaro de ſucceſſione feliciſſimarum terrarum fuerit transactum. Neque hæc conjectatio a vero recedit, cum certum ſit, eum poſt plures annos, etiam Pontificia authoritate interpoſita, reſtitutionem paterni Salernitani Principatus & honoris montis S. Angeli Dominii *c*) urſiſſe, quod deinde etiam conciliatis inter Andream filium & Joannam Roberti neptem tot regnorum hæredem nuptiis perfectum fuit *d*).

D Quam-

a) V. Benczur op. cit. cap. I. §. IX.
b) Continuator Mart. Poloni T. I. Corpor. hiſtor. Eccarti col. 1433.
c) Raynald. ad an. 1331. num. 26.
d) V. Cl. Pray op. cit. Part. II. p. 33.

Digitized by Google

Quamvis autem invicta ſint hæc argumenta ad oſtendendum, quam levi oculo ſermonem iſtum conſideraverint, qui eum Auguſtino Antiſtiti doctiſſimo attribuerunt, nunquam his rationibus aliquantum expenſis id admiſſuri; plura tamen ſuperſunt, quæ ſi in comparationem cum prioribus venire non poſſint, illis conjuncta nihilominus virtute ſua non deſtituuntur. Non hic in medium revoco, quæ ſupra de æquali totius vitæ ac ſermonis hujus ſtylo protuli, approbanda primum cuivis, cum lectionem utriuſque ſuſceperit; eadem enim ſtyli quæ vultus humani criſis eſt, cujus ſimilitudo oculis probatur: unde ſæpenumero factum eſt, ut alius omnimodam formæ æqualitatem laudet, alius meliori præditus acie, diverſa lineamenta ſibi detexiſſe videatur, quæ multos latuerunt. Neque exprobro Clodovæum Francum occupatis Galliis authoritate Hormisdæ Romani Pontificis a D. Remigio Rhemenſi Epiſcopo coronatum. Etſi enim jam extra dubitationem ſit, Clodovæum triennio minimum *e*) prius e vita deceſſiſſe, quam Hormiſdas ad Præſulatum Romanum *f*) eveheretur; condonandus tamen hic lapſus vel ipſi Auguſtino eſſet, quod jam Hincmarus Rhem. etiam Ep. in vita B. Remigii *g*) & Anaſtaſius Bibliothecarius in vitis Rom.

e) V. Dion. Petavii Rationar. Temp. P. I. lib. VII. cap. II. Auguſt. Calmet abregé chronol. ad an. 511.

f) Hormiſdæ in Rom. Pontif. conſecratio incidit in XXVII. Julii an. DXIV. V. Franc. Pagius in cit. breviar. T. I. p. 194. Ant. Pag. Critic. annal. Baronii ad h. a. num. IV.

g) Apud Laur. Surium in vitis SS. ad 13. Jan.

Digitized by Google

Rom. Pontif. *b*) ſimili errore abrepti præter Gobelinum Perſonam *i*), Onuphrium Panvinium *k*) Hiſtoriæ antiquæ vindicem, alioſque, ipſum Cæſ. Baronium annalium Eccleſiaſticorum conditorem *l*) in devia abduxerint.

Non parum profecto repugnat ſermoni huic comitiali Regis nomen defuncto Andreæ III. datum ab Auguſtino, cum Legati Apoſtolici locum in dicendo obiret; nihil ſiquidem conveniebat tum ab eo proferri, quod ex Legati ore fieri non potuiſſet. Quid vero minus ille poterat, quam nomen iſtud Andreæ tribuere, nunquam a Pontificibus Rom. viventi indultum? Aſſumpſerat enim vero ipſe Andreas Regium titulum, a ſubditis eundem cum corona acceperat, populi exteri plerique tali honoris teſtificatione eum venerati ſunt; Romæ tamen & per Italiam, ſi Venetias ſuæ progeniei devotas excipias, non niſi adminiſtrator Regni Hungarici *m*) quique Rex nominaretur *n*) audiebat: non abſque levitatis nota donandus a morte tantis æſtimationis ſignis, quanta vivus non obtinuerat.

b) In Coſmodromo T. I. Scriptor. ret. German. Meibomii p. 224.

i) Tom. I. p. 92. ed. Romæ. MDCCXVIII. fol.

k) In epitome Rom. Pontificum.

l) Annal. Eccl. Tom. VI. ad an. DXIV. num. XIV.

m) V. Raynald. ad an. MCCXCI.

n) *Qui Rex Hungariæ nominatur*: ita Bonifacius PP. apud eundem Raynald. ad an. MCCLXLIX.

Digitized by Google

Quod autem author innuit, poſt ſuprema Andreæ Regis fata primum Pontifici Romano curam fuiſſe Caroli Andegavenſis promovendi, impudens, ſi ex Auguſtini ore veniſſet, aſſertum fuiſſet: cum nemini non perſpectum haberetur, quanto conatu poſt Ladislai IV. Regis mortem Andegavenſium partibus ſtuduerint Romani. Etenim Legatus Nicolai IV. Carolum Martellum Neapoli Regem Hungariæ inauguravit, & proclamavit; ipſe Nicolaus Andream Regem agnoſcere noluit; Cœleſtinus V. Martellum Romæ corona redimivit; Bonifacius VIII. Carolum Robertum Regem pronuntiavit, Præſulesque Hungaricos ad eum Andreæ præferendum frequens admonuit; donec ipſe Andreas deficiente Dalmatia & Croatia, nutantibusque ſuis animo æger contracto morbo vitam poſuerit *o*).

Fortaſſis etiam approbationem aliquam naciſcetur argumentum ſumptum ex non ſatis congrua temporum illorum ſtudiis allegata unius ſupra viginti Patrum ordine fere chronologico recenſitorum authoritate, quæ ſicut inepta eſt orationi publicis in comitiis habendæ, in quibus potior præſentium pars in lectione veterum Eccleſiæ ſcriptorum parum verſata ſcitur; ita recentiorem multo ætatem ſapere videtur; cum ſcilicet a nata arte Typographica, impreſſorum librorum copia non difficilem adeo moroſamve facit auctorum collectionem. Atque hic ratiocinandi modus ſæpiſſime a criſeos ſtudio-

ſis

o) Fuſius hæc apud Cl. Prayum de Andrea III. Rege P. I. p. 359.; 368.

Digitized by Google

ſis in uſum aſſumptus eſt, cum in confeſſo ſit apud omnes, cuivis ſeculo ſuam ſcribendi methodum particularem placuiſſe, & fuiſſe. Neque tamen arbitror a quopiam deſiderandum, ut loca, ad quæ author provocat, examinentur, ſintne talia, quibus intentam cauſam evincere poſſit? nimiam enim hic labor poſtularet operam, cujus pretium nullum foret. Siquidem quamvis omnia ad trutinam appenſa reperirentur, argumentum propoſitum nondum everterctur, quin ex ipſa citatorum librorum & capitum accuratione, quam veteres ut plurimum neglexerunt, firmaretur.

Opinionem meam ſtabilit Joannes Zonaras teſtis in eadem oratione appellatus, ad cujus etiam teſtimonium Tomcus frequens provocavit, dum de Regiæ ſanctitatis Illyricanæ fœcunditate opus ad Ferdinandum II. Imp. ſcriberet: Zonaras inquam teſtis appellatus, author Græcus ſub initium ſeculi XVI. Latinis parum adeo cognitus, ut cum Joannis Monachi hiſtoriæ Imperatorum in Regia Budenſi Bibliotheca felicibus auſpiciis repertæ fuiſſent, nemo unus eundem Zonaræ nomine vocaret. Neque ampliorem authoris notitiam adhuc aſſecutus erat Maximilianus I. Imp. ſub an. MDXIV Wilibaldo Pirckheymero imperans, *ut Joannem Monachum in obſcuro latitantem latinum latinis redderet* p) Pariter Angelus

p) Exiſtunt hæ Maximiliani Imp. litteræ apud Melch. Goldaſtum T. III. Syntagm. Conſtitut. Imperialium p. 485. & in operibus Pirckheymeri p. 93. unde illas doctiſſ. Khautz in Verſuch einer Geſchichte der öſterreichiſchen Gelehrten. p. 115. protulit.

Digitized by Google

Coſpus Bononienſis eloquentiæ ac Poëſeos in Viennenſi ſtudiorum univerſitate Profeſſor, qui idem opus poſtmodum Maximiliani ejuſdem juſſu latinitate donandum ſuſcepit *q*) unica Alexandri Magni Macedonis vita ſpeciminis loco in lucem edita *r*) mortuus *s*), ſola Joannis Monachi appellatione authorem ſuum celebravit. Ipſe felix codicis inventor Joannes Cuſpinianus non niſi longo poſt tempore, terminatis fere Coſſ. ſuis *t*) verum authoris cognomen, quo ab aliis Monachis diſcernere-

q) Cuſpinianus in Coſſ. p. 64. *Scripſit hujus* (Diocletiani Imp.) *vitam eleganter ſed græce Joannes Monachus, quem nunc meus Angelus Coſpus Bononienſis Vir tum doctrina tum moribus præter cæteros inſignis Romana facit lingua loqui, quem propediem ſtudioſi ſumma cum animi hilaritate legent & lætabuntur.* Hoc, ut videtur, loco deceptus Georg Matthias Königius in Vet. & nov. Bibl. Coſpo noſtro vitam Diocletiani Imp. ex Joanne Monacho verſam attribuit.

r) Habentur: *Diodori Siculi ſcriptoris Græci libri duo. Primus de Philippi Regis Macedoniæ, aliorumque quorundam illuſtrium Ducum: alter de Alexandri filii geſtis. Utrumque latinitate donavit Angelus Coſpus Bononienſis. Alexandri Regis vita, quam græce ſcriptam a Joanne Monacho Ang. Coſpus vertit in linguam noſtram.* Fol. in calce: *Impreſſum Viennæ Pannoniæ per Hieronymum Vietorem Menſe Aug. MDXVI.* Diodori libri Maximiliano Imp. Deſ. inſcripti; fragmentum Zonaræ vero Joanni de Banniſſis dicatum eſt. Eadem vita ſub Joannis Monachi nomine præfixa adhuc habetur Q. Curtio ed. Baſileæ. 1556. 8.

s) Obiit Coſpus eodem *anno MDXVI. ſepultus hic Vien. ad S. Laurentium*, ut ſe ipſum correxit Georg. Ederus in calce primæ editionis Catalogi Rectorum Univerſ. Vienn. 1559. Quamvis ſequentes editiones ann. 1645. & 1670. curatæ Coſpum iterum cum coævo celebri Mathematico confuderint.

t) Op. cit. p. 520. Quo magis admireris doctiſſ. ætatis noſtræ ſcriptorem ingenue fatentem, nihil ſibi conſtare, an ipſe Joannes Monachus, aut ejus verſio unquam lucem viderint; cum ſub Zonarae nomine poſt Hieronymi Wolfii verſionem circa an. MDLIX. perfectam tam græcus quam latinus pluries editus habeatur.

neretur, evulgavit; ut ergo ſermonem iſtum, in quo Zonaras dicitur, poſterioris ætatis laborem eſſe, utcunque probabile haberi queat. Verum hæc omnia non ultra conjecturam dicta velim; ſatis enim ſuperque alienus fœtus Auguſtino Præſuli eruditiſſimo ſuppoſitus evincitur ex manifeſto errore perſonæ, pro qua in illis comitiis agendum fuit; ex ignorato Ottonis Bavari cum Hungaris Regibus nexu, ex Eliſabetha Luſitaniæ & Maria Siciliæ Reginis inter mortuos, dum viverent, numeratis; quibus conſtitutis reliqua velut ex ſatura lance, ut proverbio utar, adjecta cenſeri poſſunt.

Attamen ſi quis reliquam vitam, ut ſcripta eſt, conſideraverit, præter expectationem non erit, Tomcum adeo aberraſſe, dum Auguſtinum loquentem induceret; cum non facile occurrat alius, qui minus eo paratus etiam alias ad ſcribendum fingendumve acceſſerit ſola ſæpe authorum fide, quin eos examinaverit contentus, ſæpe ex authoritate propria fidem ſperans. Exemplo ſit locus, quo in vita refert: *Cum Bonifacio VIII. qui Cardinalem Oſtienſem Legatum deſtinarat in Hungariam, Benedictus appellatus undecimus poſt tertium annum a decimo tertio ſæculo Chriſtiano, ex Prædicatorum familia lectus, vir pietatis eximiæ, in ſede Petri ſuffectus eſſet u*). Offenderat jam relationis obſcuritas *v*) Cuperum, quod *ſcriptor actorum hoc loquendi modo non ſatis exprimat, hunc Bonifacii VIII. ſucceſſorem eſſe eundem cum Nicolao, quem Bonifacius Pa-*

u) Pag. 5. edit. cit.
v) In cit. actis p. 292.

Papa in Hungariam delegaverat. At vero, ſi ſenſus meus libere aperiendus ſit, exiſtimo Tomci opinione Nicolaum Cardinalem a Benedicto PP. fuiſſe diſtinctum; ſuis enim verbis expreſſit latentem Bonfinium, qui narratis Cardinalis hujus fruſtaneis in Hungaria laboribus ait: *Romam revertitur, ubi Pontifice defuncto alius Pontificatum ſortitur & Benedictus appellatus x)* Ex eodem Bonfinio proceſſiſſe videtur Caroli Martelli Patris & Caroli Roberti filii permixtio, atque ex hujus ſilentio ignorantia Ottoniani ſtemmatis; de quo quidem ſupra monui.

Alterum exemplum ſit, cum Wenceslaum metu Bavari *y)* in Bohemiam fugiſſe aſſerit. Figmentum apertum; conſtat enim Ottonem non prius ſolemni legatione ad capeſſendas Regni habenas evocatum fuiſſe, quam Wenceslaus Hungariam ſponte ſua invitis Hungaris deſeruiſſet. Equidem haud negaverim nonnullos Proceres Duci huic longe antea animum addixiſſe; non tamen id palam proditum legimus; quin ipſe Otto copias ſuas Alberti Rom. Regis exercitui contra Bohemum pro Caroli Andegavenſis partibus pugnaturo conjunxit, invitus licet; quippe qui occulte Wenceslao faveret, & conſiliis ſuis plus illi, quam Alberto & Carolo prodeſſe ſtuderet. Poſtmodum Regno, ut ſibi delatum erat, acceptato nullam vim adverſus Bohemum exercuit, nec antea in Hungariam venire contendit, quam

x) Decad. II. lib. IX. p. 247. ed. Poſonii MDCCXLIV. fol.
y) Pag. 23. edit. cit.

Digitized by Google

quam Coronam & ceſſionem juris a Wenceslao certis conditionibus & fere precario obtinuiſſet. Optarem, ut vel hic ſaltem adjeciſſet Tomcus narrationis ſuæ teſtem unicum; cum in tanta vario affectu ſcribentium authorum copia (ſi etiam Bohemi prætermittantur, nihil inglorium de gente ſua dicturi) forſitan nullus ſit, qui receſſum Wenceslai metu Bavari factum, aut hujus contra illum molitiones narret. Potior igitur reducendi Adoleſcentis Regis ratio fuiſſe videtur ſumma Rom. Pontificis comminatio, Alberti Cæſ. pro Carolo ſororis ſuæ filio ſtudium, mobilitas et incertitudo animi inter Hungaros, nimius Patris amor in filium hæredem unicum, Adoleſcentis ipſius tædium. Quæ omnia coævus Horneckius continuo Rythmo deſcripſit *z*) & confirmantur ex litteris Bonifacii PP. VIII. quarum recenſionem ſupra ex codice Bibliothecæ ad Scotos dedi.

Tertium exemplum eſto, ubi Carolus noſter Roberti Siciliæ Regis conſanguineus *a*) appellatur. Atque hoc quidem omnino ita ſe habet. Verum tamen poſtea quam Carolum noſtrum ex Maria Stephani V. filia & Carolo II. claudo Siciliæ Rege natum aſſeruerat, Roberti qui eosdem parentes nactus eſt, non amplius conſanguineus, ſed Frater fuiſſet dicendus, ut recto ordine filium texeretur.

Quartum ſuppeditat ipſe, cum primum bellum Caroli, quem unicum agnoſcit, ad Michaelis Ep. Zagrabien-

E

z) In cit. Chronico a cap. DCCXVIII.
a) P. 34. edit. cit.

bienſis annos *b*) transfert, quod plerique *c*) ſub an. MCCXCII. tempore Joannis Ep. conſtituunt; deinde tamen immemor hujus belli contra Andream pro vindicanda ſibi Hungaria geſti, Caroli exilium a regno avitico non niſi novem annis circumſcribit, prætermiſſo aliorum novem antecedentium cenſu.

Plura adhuc ſubminiſtrant animadvertenda tum Reverendiſſ. Kercſelichius in hiſtoriis Eccleſiæ Zagrabienſis, tum Guil. Cuperus, quibus Tomcus præter omnem hiſtoriæ fidem in referendis Auguſtini Præſulis actis fefelliſſe reperitur; quo fit, quod ſupra monueram, ut nullum ſubitura ſit admiratio, cur frequentes adeo, tamque enormes errores in ſermone comitiali fingendo commiſerit, cum tantos per ipſam vitam, copioſis alioquin digreſſionibus refertam ſparſerit.

At vero ſynodalis ſermo, ſi demas ingreſſum notatum: *ita fertur clerum ſuum allocutus* & clauſulam: *ita ſuos allocutus traditur*, pauca habere videtur, quæ eum Auguſtino Præſuli ſanctiſſimo afferendum dictent. Aliqua nihilominus non negligenda ſunt, quæ rigidioris audaciorisve judicii Criticum vehementer movere poſſunt. Primum ſimilitudo non tam cum vita, quæ ſupra conceſſa fuit, quam cum ſermone comitiali, qua ſicut Cl. Prayus utendum putavit, ut ſermoni comitiali patrocinaretur, ita iſto cadente, eadem utendum erit ad ſy-

dalem

b) Ibidem p. 9.

c) V. Cl. Pray P. I. p. 363. & Reverendiſſ. Kercſelich. p. 92.

Digitized by Google

dalem hunc abjudicandum. Deinde methodus tractandi longe inferior apparet fama, quam Auguſtinus apud poſteros obtinuit. Denique ſententia aliorum, præcipue P. Peterfy & P. Joannis Stiltingi Hagiographi non modicum pondus facit, quorum ille dubium ſuum, ut dixi, expreſſit; iſte in vita S. Stephani Regis *d*) cum maxime opus eſſet ad dexteræ integre conſervatæ narrationem firmandam, omnem ejus memoriam prætermiſit, quamvis ſuo tempore hic ipſe ſermo a Cupero Colleg a ſuo fuiſſet recenſitus; ut adeo teſtimonium inde petendum neglexiſſe videatur, non alia certe ex cauſa, quam quod fidem nullam ei adhibendam eſſe exiſtimarit.

Atque hæc de ſinceritate utriuſque Sermonis Auguſtino hactenus attributi, quorum alter ad eum omnino pertinere nequit, alter ipſo non ſatis dignus eſt. Nihil tamen hoc ſententia mea celeberrimis quibusque viris detractum velim, quibus, cum ampliora opera molirentur, minimas has res perſcrutari non vacabat. Quotusquiſque enim eſt, qui omnia perſpiciat, quive omnibus exacte expendendis ſufficiat? Illis autem inſultare aut invento aliquo, quod ſcribentis calamo elapſum eſt, verbo triumphos canere, neſcio an probroſum potius quam maturo judicio *e*) factum dici mereatur. Enim vero ita ſemper animo conſtitutus fui, ut miſerrimos illos

d) In act. SS. 2. Sept. T. I. in com. prævio. §. XXXVII.

e) S. Hieronymi aſſertum eſt: *Puerilis eſſe jactantiæ, quod olim adoleſcentuli facere conſueverunt, accuſando illuſtres viros, ſuo non ini famam quærere.* Tom. II. opp. S. P. Aug. Epiſt. LXVIII. col. 157.

Digitized by Google

illos judicarem, qui, quod paria non auderent, ex eo gloriolam caperent, ſi doctos viros acriter perſtinxiſſent, aut in eo laudem ponerent, ubi aliquam partem eruditiori cuipiam detraxiſſent. Satis tamen ſibi plerique, quorum memini, adverſus hoc invidum hominus genus conſuluere, cum dubium ſuum indicarunt, relicto aliis campo accuratius illa examinandi & diſcutiendi; quod quidem præſenti ſcripto facere conatus ſum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z202871204

BUCHBINDEREI
FELIX PROUZA
WIEN
TEL. 34 67 132
Digitized by Google

Digitized by Google